Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-318748-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-318748-p0002-0

22.
t, 23.
1712 1138
216
8

DISSERTATIO JURIDICA,

*DE*

# ACTUARII PRÆSENTIA IN ACTU TESTANDI,

*QUAM*

DEO T. O. M. ADNUENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQUA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE

**DN. JACOBO FRIDERICO LUDOVICI,**

J. U. D. ET PROF. PUBL. ORDINAR.

*PATRONO AC FAUTORE SUO AETATEM COLENDO,*

*d. Novembr. MDCCXII.*

Placido Eruditorum examini ſubmittet

CHRISTIANUS Krimpff/
HALA MAGDEB.

*HALAE MAGDEBURGICAE,*
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-318748-p0003-5

# DISSERTATIO JURIDICA,

*DE*

# ACTUARII PRÆSENTIA IN ACTU TESTANDI.

## CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

STatus *controverſiæ*, §. I. *Quæſtio in Electoratu Saxoniæ maxime quondam agitata. Opinio Finckelthuſii*, §. II. *Rationes pro firmanda hac opinione ex conſtitutionibus Electoralibus*, §. III. *ex jure provinciali Saxonico*, §. IV. *et jure canonico*, §. V. *&* VI. *Aliorum opinio, quod in judicio etiam teſtes adhiberi debeant*, §. VII. *Sententia Carpzovii Finckelthuſio oppoſita*, §. IIX. *Exponitur verus controverſiæ ſtatus inter duos illos JCtos*, §. IX. *Et quænam mens Carpzovii fuerit de præſentia Actuarii in actu teſtandi*, §. X. *Deciſio controverſiæ per Deciſionem Electoralem, quæ integra recenſetur*, §. XI. *Exponitur, quatenus ſententia Carpzovii per hanc Deciſionem adprobata fuerit*, §. XII. *Oſtenditur, Deciſionem illam 45. non ſolum de eo caſu loqui, quando teſtamentum in loco judicii conditum, ſed quoque eandem ad alterum caſum pertinere, quando teſtator ægrotans in ædibus privatis ultimam voluntatem declarat*, §. XIII. *Removetur dubium ex Deciſ. noviſs 73.* §. XIV. *Teſtamentum inſtante morte teſtatoris in Electoratu Saxoniæ*

*coram ſolo judice abſente Actuario conditum validum eſt, licet defectus Actuarii teſtatore præter opinionem adhuc diutius vivente ex poſtfacto non ſuppleatur. Diſſentit Lynkerus, §. XV. Cui reſpondetur, §. XVI. Oſtenditur contra Lynkerum, quod Actuarius, ſi quis adhibetur, juratus eſſe debeat, §. XVII. De caſu, quando teſtamentum coram ſenatu oppidano conditur, §. XIIX. Admittuntur in Electoratu Saxoniæ etiam conſvetudines a Deciſionibus Electoralibus recedentes, §. XIX. Quid in Saxonia Ducali obtineat? §. XX. De Principatu Anhaltino, §. XXI. Jure Lubecenſi, §. XXII. Statutis Hamburgenſibus, §. XXIII. Reformatione Norica, §. XXIV. Statutis civitatis imperialis Mülhuſæ, §. XXV. Textus ex ordinatione Politica Ducatus Magdeburgici de hac materia, §. XXVI. Ejus interpretatio uſualis. Atteſtatum illuſtris Regiminis Ducatus Magdeburgici, §. XXVII. Nec non Capituli Eccleſiæ Cathedralis Magdeburgenſis, §. XXIIX. Reſponſum Facultatis Juridicæ Halenſis, §. XXIX. Et Scabinatus Halenſis, §. XXX. Quid juris ſit in Ducatu Magdeburgico, ſi teſtamentum coram judice quidem, ſed non in loco judicii condatur? §. XXXI. De Auſtria & Bavaria, §. XXXII. Jure communi in loco judicii & extra eum teſtamenta coram ſolo judice abſente licet Actuario valide condi poſſunt, §. XXXIII. Reſpondetur ad textus ex jure canonico, qui obſtare videbantur, §. XXXIV. & XXXV. Confirmatur hæc ſententia Reſponſo Scabinatus Halenſis, §. XXXVI. Tria adhuc monentur, §. XXXVII. In Marchia teſtamenta etiam coram ſculteto & ruſticis nonnullis fiunt, ubi nullus Actuarius adeſt, §. XXXIIX. Nec jure Canonico Actuarius requiritur, quando ultima voluntas coram Parocho & duobus teſtibus declaratur. Oſtenditur ſimul, opinionem illam, ac ſi abſente Parocho teſtamentum coram quatuor teſtibus fieri queat, in jure canonico fundamentum non habere. De uſu juris canonici quoad hanc materiam in terris imperii, §. XXXIX. Caute quidem agit, qui etiam extra Electoratum Saxoniæ coram Judice & Actuario ſimul teſtatur, verum propter abſentiam Actuarii teſtamentum non vitiatur, §. XL. Concluſio Diſſertationis, §. XLI.*

§. IV. Te-

## §. I.

TEſtamentorum duo eſſe genera, publica & privata, vulgo notum eſt. De privatis eorumque ſolemnitatibus variis, quæ citra vitium nullitatis negligi non debent, nobis in præſenti non erit ſermo, neque etiam de illis publicis dicemus, quæ ipſi Principi offeruntur; ſed de iis ſolum, quæ judici inſinuantur, agere conſtituimus & in ſpecie quidem de iſta quæſtione ſatis controverſa: Utrum teſtamentum pro judiciali valido haberi queat, quod ſoli judici, neque Actuario, neque Scabinis præſentibus a teſtatore oblatum eſt?

§. II. Quæſtio hæc maxime inter JCtos in Electoratu Saxoniæ quondam agitata fuit, unde hiſtoria controverſiæ paucis præmittenda erit. Sigismundus Finckelthuſius *in obſerv. pract. obſ. 63.* exiſtimat, tempore inſinuationis teſtamenti duas perſonas judiciales, inter quas Actuarium non connumerat, præſentes eſſe debere, ex quo porro infert, non valere teſtamentum, quod vel coram *ſolo Prætore, ſive Quæſtore,* vor einem Amtſchöſſer/ oder Richter alleine/ vel coram *Prætore & Notario ju-*

*dicii*, *ſive Actuario publico*, vor dem Schöſſer und einem Amts-*Notario*, oder dem Richter und Gerichts-Schreiber / conditum eſt, ſubjunctis variis præjudiciis, quod Facultas Juridica & Scabini Lipſienſes, Scabini quoque Halenſes ita pronunciaverint.

§. III. Rationes pro hac ſententia ſtabilienda ſequentes adfert. Primo provocat ad *Conſt. Elect. 3. part. 3.* ubi diſpoſitum: Wo auch Gerichts-Perſonen von Gerichtswegen zu einem / der da kranck iſt / in ſeine Behauſung auf ſeine Erforderung geſchickt / und er vor ihnen ſein Teſtament macht / ſo wird es davor gehalten / als wäre es coram actis und vor Gerichte geſchehen. Notandum hîc eſſe dicit numerum pluralem: Gerichts Perſonen / adeoque unam non ſufficere, ſed ad minimum duarum præſentia opus eſſe, arg. *l. fin. C. de donat. mort. cauſ.* ibi: *neque expectare publicarum perſonarum præſentiam.*

§. IV. Secundum argumentum deſumit ex textu Land-R. *lib. 3. art. 88.* ubi hæc verba habentur: Was ein Mann mit dem Gericht überzeugen ſoll / da ſoll ſich der Richter / die Wahrheit zu ſagen / bey Königes Hulden verpflichten / darnach die Schöpffen alſo alle / ubi gloſſa latina, allegante citato Autore, *lit. a.* addit: non enim ſoli judici de proceſſu coram ſe facto creditur, ſed judici & ſuis Aſſeſſoribus ſimul.

§. V. Tertium argumentum depromit ex *c. quoniam 11. X. de probat.* ubi Papa Innocentius III. *quoniam*, inquit, *contra falſam aſſertionem iniqui judicis innocens litigator quandoque non poteſt veram negationem probare, cum negantis factum per rerum naturam nulla ſit directa probatio, ne falſitas veritati præjudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati; ſtatuimus, ut tam in ordinario judicio, quam ex-*

*tra-*

*traordinario, judex ſemper adhibeat aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicii acta conſcribant.* Hîc iterum ex mente Finckelthuſii diſpoſitum reperitur, quod ſolus judex actus judiciales expedire nequeat.

§. VI. Quarto etiam hanc rationem ſubjungit, quoniam uti nulla eſt cauſa, quæ unius teſtimonio privato, quamvis legitimo, terminetur: ita nec verbo unius judicis, quantæcunque fuerit autoritatis, credendum ſit in judicio, *c. cum à nobis 28. X. de teſtib.* ne forte contingat, ut per improvidos & iniquos judices innocentium juſtitia lædatur, *c. quoniam 11. X. de probat.* inprimis vero in cauſa teſtamentaria judex proſpicere debet, ne quid falſitatis incurrat, *l. fin. C. de fideicommiſſ.* Fovent hanc opinionem præter Finckelthuſium etiam alii DD. Saxonici, ut Berlich. *Deciſ. 85.* Möller *ad Conſt. Elect. p. 3. C. 3. n. 25.* Aut. Conſult. Saxon. *tom. 1. part. 2. qu. 30. num. 2.* & alii citati à Finckelthuſio *d. obſ. 63. num. 13.*

§. VII. Fuerunt adhuc alii, qui teſtamentum judiciale aliter fidem non habere exiſtimârunt, niſi judex tempore inſinuationis teſtes adhibuerit, v. Aut. Conſult. Saxon. *d. tom. 1. p. 1. qu. 30. num. 1.* quæ opinio forſan ex jure canonico & quidem ex *c. 11. X. de probat.* ibi: *aut duos viros idoneos*, originem ſuam deduxit. Verum eadem à plerisque DD. improbata & in conſtitutionibus Saxonicis Electoralibus *part. 3. Conſt. 3.* rejecta fuit, verb. Ungeachtet / daß etliche bey den Teſtamenten / ſo Gerichtlich geſchehen / Zeugen erfordern / ſo ſeynd doch unſere Verordnete deſſen einig / daß dieſelbige zu Recht beſtändig / ob gleich keine andere Zeugen darinnen benannt / oder dazu gebeten worden. Videamus

mus ergo de illis DD. qui à Finckelthuſii, Berlichii aliorumque opinione paulo ante adducta receſſerunt.

§. IIX. Prout vero alias in multis: ita quoque in hac controverſia Carpzovius opinionem Finckelthuſii ſententiæ oppoſitam defendit. Ita enim ille *P.3. C.3. D.15. n.7. ſeqq.* Sola nimirum, inquit, autoritas judicialis defectum teſtium ſupplet & pro forma teſtamenti requiritur. Quis autem negare auſit, ſolum etiam judicem pro tribunali ſedentem haud præſentibus aliis Scabinis Aſſeſſoribus judicium & Acta publica repræſentare, Hermann. Vultej. *Conſ. Marp. Vol.1. Conſ.34. num. 55.* tantoque minus metuenda eſt fraus aliqua, quanto certius in judicis perſona omnem prorſus ſuſpicionem ceſſare, præſertim, quia veriſimile eſt, abſentibus licet judicii Aſſeſſoribus coram actis tamen ſemper adeſſe multitudinem hominum aliorum fide dignorum, qui de ultima voluntate teſtatoris teſtimonium perhibere poſſent, DD. *in l. omnium. 19. C. de teſtam.* Hartm. Piſtor. *part. 3. qv. 28. num.12 verſ. deinde hæc ſentent.* Nec movet, addit, quod vulgo dicitur, ſolius judicis verbo haud fidem tribuendam, *c. cum a nobis. 28. X. de teſtib.* quia hoc verum eſt eo ſolum caſu, quo teſtimonium judicis imploratur ſuper eo, quod non in loco judicii, ſed alibi extra locum judicii, ubi autoritas judicis ceſſat, factum geſtumque eſt. Dicere quoque auſim, concludit, *d. c. 28. X. de teſtib.* agere de probatione teſtamenti jam facti, non autem de ipſius forma ac ſolennitate. Etſi vero ſolus judex tanquam teſtis unicus teſtamentum jam factum plene non probet, quin tamen hoc ex actis judicialibus ſolo etiam judice præſente plenam autoritatem ac formam perfe-

ctam accipiat, dubium non eſt, v. Hartm. Piſtor. *d. qu. 28. n. 5. & 6.* Latius hæc perſequitur adhuc idem Carpzovius *in Reſponſ. jur. Elect. lib. 6. Reſp. 12.* quippe ubi *num. 25. ſeqq.* ad ſingula Finckelthuſii argumenta reſpondet, quæ omnia tamen excerpere non vacat.

§. IX. Probe vero, ut omnis confuſio evitetur, in hac materia duo caſus ab invicem ſunt ſeparandi. Aut enim teſtator teſtamentum judici *in loco judicii* offert, aut vero propter vim morbi impeditur, quo minus offerre queat, & hinc accerſito judice eoque ad ædes teſtatoris veniente *in ædibus privatis* ultimam ſuam voluntatem coram judice declarat. Ad *priorem* caſum ſolum pertinet diſſenſus inter Carpzovium & Finckelthuſium: Intuitu *poſterioris* autem Carpzovius perinde, ut Finckelthuſius, requirit, ut vel judex ad minimum cum uno Scabino, vel duo Scabini, eo tempore, quo teſtamentum conditur, præſentes ſint, unde nec ex ipſius opinione ſubſiſtit teſtamentum, quamvis illud coram judice & Actuario, vel coram uno Scabino & Actuario conditum fuerit, v. *cit. P. 3. C. 3. Def. 17. & 18.*

§. X. De quæſtione: *utrum præter Judicem & Scabinum*, vel *præter duos Scabinos etiam Actuarius judicii neceſſario præſens eſſe debeat?* nec Carpzovius, nec Finckelthuſius *locc. citt.* aliquid tradiderunt. Interim tamen Carpzovius *Part. 3. C. 3. D. 32.* hac de re mentem ſuam ita exponit, quod neutro caſu, ſive teſtamentum in loco judicii, ſive extra eum condatur, Notarius, vel Actuarius judicii præciſe adhiberi debeat, ut voluntatem teſtatoris conſignet & actis judicialibus eam inſerat, ſed ſufficere dicit, ſi hoc munus alii, qui Notarius judi-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-318748-p0011-0

cii non eſt, injungatur, vel ipſimet Scabini, aut Decuriones diſpoſitionem teſtatoris conſignare & actis judidialibus inſerere velint. Sufficit namque ex ipſius ſententia autoritas judicialis, *l. omnium. 19. C. de teſtam.* quam ſoli Scabini & Decuriones repræſentant, non etiam judicii Notarius, cujus officium à Decurionum & Scabinorum longe diſtinctum & ſeparatum eſt.

§. XI. In Deciſionibus Electoralibus noviſſimis *Deciſ. 45.* omnis controverſia in Electoratu ſublata & compoſita fuit. Verba Deciſionis hæc ſunt: Ob ein Teſtament / ſo vor einem Schöſſer / oder anderm Richter alleine / ohne Beyſeyn der Land- oder Gerichts-Schöppen vor ordentlicher Gerichts-Stelle aufgerichtet / oder übergeben / vor ein Gerichtlich Teſtament zu achten? Hierinnnen haben wir nunmehr aus erheblichen Urſachen dahin geſchloſſen / daß bey inſinuation des Teſtaments genug ſeyn ſoll / wann ſich der Richter und geſchworner Actuarius an ordentlicher Gerichts-Stelle gegenwärtig befindet / ob gleich kein Schöppe dabey verhanden / des Actuarii Perſon aber kan keinesweges übergangen oder ausgelaſſen werden / es wäre denn des Teſtatoris Todes-Gefahr gegenwärtig / und der Richter könte den Actuarium ſo geſchwind nicht erlangen / auf dieſen Fall / und wenn der Richter wegen ſolcher Gefahr gerichtlichen atteſtiret / ſoll das Teſtament vor beſtändig gehalten werden / auſſer welcher neceſſität aber dieſe unſere Deciſion nicht zu extendiren iſt. Wann auch einer von Adel dem geſchwornen Actuario die Verwaltung der Gerichte aufgetragen hätte / und demſelben allein ein Teſtament übergeben und inſinuiret würde / er auch einen Gerichts-Schöppen ſo geſchwind nicht erlangen könte / und ſich bey dem Teſtatore die Todes Gefahr ereignete / ſo ſoll ſolch Teſtament / wenn der Actuarius von der gegenwärtigen Gefahr gerichtlichen atteſtiret / gleichfalls gültig ſeyn und da für geachtet werden. Laſſen uns demnach derjenigen Meynung / die dergleichen Teſtament / ſo ohne der Land- und Gerichts-

richts-Schöppen Beyſeyn übergeben / aus Mangel der ſolennitäten vor verwerfflich ſchätzen wollen / nicht irren / ſondern wollen / daß hinfüro auf obgeſagte maße erkannt werden ſoll. Was aber die vor unſerer Deciſion dem Richter allein übergebene und zu den Acten gebrachte Teſtament betrifft / die verbleiben / wenn ſich ſonſt kein Mangel dabey befindet / zu Verhütung allerhand inconvenientien und aus andern Urſachen / nicht unbillig bey Kräfften.

§. XII. Ergo Carpzovii ſententia negativa circa quæſtionem: *utrum Scabini neceſſario una cum judice præſentes eſſe debeant?* adprobata & contraria Finckelthuſii rejecta fuit. Interim tamen Legislator Saxonicus Actuarium judicii præciſe adhibendum eſſe dicit, contra opinionem Carpzovii paulo ante §. *X.* recenſitam, excepto neceſſitatis caſu, quando ſcilicet periculum mortis proxime inſtat isque probabiliter morbo ſuccumberet, antequam Actuarius advenire poſſet. Porro notabile eſt, quod eo caſu, quando Nobilis Actuario jurato exercitium jurisdictionis demandavit, teſtamentum coram illo Actuario & uno Scabino, imo iterum in caſu neceſſitatis & mortis inſtantis coram ſolo Actuario condi queat. Actuarius enim hoc caſu mandatam jurisdictionem habet atque reipſa Juſtitiarius eſt, quamvis nomine careat.

§. XIII. Quin Deciſio Electoralis ad iſtum caſum pertineat, quando teſtamentum *in loco judicii* conditur, de eo dubium non adeſt. Sed quæritur: an ad alterum quoque caſum ea extendi poſſit, quando actus teſtandi *in ædibus privatis* expeditur? Equidem de hoc caſu inter Carpzovium & Finckelthuſium aliosque nulla fuit controverſia, v. ſupra §. *IX.* & rubrica quoque Deciſionis

verb. vor ordentlicher Gerichts-Stelle aufgerichtet oder übergeben / eundem caſum ſaltem indigitat; nihilominus tamen dictam deciſionem de poſteriori etiam caſu intelligendam eſſe exiſtimamus. Scilicet, Deciſio inter alia de moribundo quoque teſtatore loquitur, moribundus vero aliusve ægrotans ad locum judicii venire ibique teſtamentum condere nequit, ſed neceſſe eſt, ut actus teſtandi in ipſius ædibus expediatur. Ergo ſequitur, Deciſionem Electoralem de teſtamento in ædibus privatis confecto intelligi quoque debere. Ergo, ſi teſtator quidem ægrotat, ſed periculum mortis nondum adeſt, teſtamentum coram judice & Actuario, vel, ſi nobilis Actuario jurato exercitium jurisdictionis commiſit, coram illo & uno ad minimum Scabino condi debet: ſi vero mors inſtat, coram ſolo judice, vel in altero caſu coram Actuario Nobilis ſolo actus ille peragi poteſt. Non obſtat, quod rubrica Deciſionis de teſtamento in loco judicii oblato, vel condito, ſolum loquatur; nota enim eſt DD. regula, quod quando rubrica recedit à nigro, vel eidem contradicit, nigro potius, quam rubro ſit ſtandum, Everhard. *loc. argum. legal. loc. à rubro num. 12.*

§. XIV. Dictis quoq; non obſtat, quod in *Deciſ. noviſſ.* 73. de eo caſu in ſpecie agatur, quando actus teſtandi *in ædibus privatis expeditur*, prout oſtendunt ſequentia illius Deciſionis verba: Ob ein Teſtament vor einem Schöppen und Gerichts-Actuario, ſo von denen Gerichten abgeordnet / gefertiget / beſtändig ſey? Unſere Conſtitutiones vermögen / wo Gerichts Perſonen von Gerichts wegen zu einem / der da kranck iſt / in ſeine Behauſung auf ſeine Erforderung geſchickt / und er vor ihnen ein Teſtament machet / ſo würde es dafür gehalten / als wäre es coram Actis und vor Gerichte geſchehen; Hierüber iſt bey un-

ſeren

ſeren Rechts-Gelehrten vorgefallen (non tamen inter ſupra citatos, v. §. *IX.*) ob es genug / wenn nebenſt dem Actuario nur ein Schöppe dieſem actui beywohne / oder ob bey ſelbigem (Actuario) zwey Gerichts-Perſonen ſeyn müſſen / indem beſagte Conſtitution von vielen redete / und der Actuarius unter die Gerichts-Perſonen nicht zu rechnen. Wir laſſen uns die letzte Meynung gefallen und wollen / daß dißfalls bey dem Actuario zum wenigſten zwey Gerichts-Perſonen ſeyn ſollen / wenn vor ihm ein Teſtament aufgerichtet / oder ein allbereit gefertigtes übergeben wird / es wäre dann / daß dem Actuario von dem Gerichts-Herrn die gäntzliche Verwaltung der Gerichts-Sachen durch eine gewiſſe Beſtallung aufgetragen / da er dann des Richters Stelle vertrete und alſo gnug wäre / wann er gleich nur eine Perſon bey Aufrichtung des Teſtaments bey ſich gehabt. Scilicet probe obſervandum duos diſtinctos caſus eſſe, alterum, quando *ipſe judex præſens eſt*, alterum, quando *abſente judice Scabini judicium conſtituunt*; de *priori* caſu loquebatur *Deciſ. Elect.* 45. quod nempe teſtamentum pro valido haberi debeat, ſi ejus inſinuatio præſente Judice & Actuario facta, excepto caſu neceſſitatis, ſi Actuarius haberi nequeat & tamen periculum mortis inſtet. De *poſteriori* caſu loquitur modo recenſita *Deciſ. 73.* & diſponit, quod duo Scabini una cum Actuario eo tempore, quo teſtamentum conditur, præſentes eſſe debeant, item, quod eo caſu, quando Nobilis exercitium jurisdictionis Actuario commiſit, hujus Actuarii & unius Scabini præſentia ſufficiat. Hæc ita ordinarie obtinent. Sed quid ſi iterum caſus neceſſitatis & inſtans mortis periculum adſit? De tali caſu nihil diſponitur in *Deciſ. 73.* ergo ad *Deciſ. 45.* recurrendum & ex illa *Deciſ. 73.* ſupplenda, ſcilicet quod teſtamentum pro firmo haberi debeat, ſi vel coram duobus

Scabinis abſente Actuario, vel coram ſolo Actuario, cui Nobilis exercitium jurisdictionis commiſit, conditum fuerit. Judex enim & duo Scabini ſibi æquiparantur, prout ex collatione utriusque Deciſionis adparet. Ergo quemadmodum teſtamentum inſtante mortis periculo coram ſolo judice abſente licet Actuario rite conditur: ita quoque in eodem periculo coram ſolis duobus Scabinis abſente licet Actuario illud valide condi poterit. Intuitu Actuarii, cui Nobilis jurisdictionem conceſſit, aſſertio noſtra expreſſe confirmatur in *Deciſ. noviſſ. 45.* §. Wann auch einer von Adel/ ſed neque de altero caſu, quando coram duobus Scabinis abſente Actuario teſtamentum conditur, adhibitis genuinis interpretandi principiis dubium eſſe poterit.

§. XV. Vidimus paulo ante, teſtamentum coram ſolo judice conditum ſubſiſtere, ſi propter inſtans periculum mortis Actuarius advocari & haberi non potuit. Cum vero interdum accidere ſoleat, ut ipſi moribundi in agone, ut videbatur, jam conſtituti iterum vires capiant & vel priſtinam ſanitatem recuperent, vel tamen per aliquot dies, aut hebdomades, adhuc inter vivos hæreant, quæſtio exinde enaſcitur: *annon ejusmodi caſu obveniente defectus Actuarii ſuppleri debeat?* Adfirmat quæſtionem Dn. Lyncker *Deciſ. 1217.* Nachdem/ inquit, die Verordnung der neuen Chur-Sächſiſchen 45. Deciſion klar/ daß bey Aufnehmung eines Gerichtlichen Teſtaments des Actuarii Perſon/ als desjenigen/ ſo die Gerichte zu verwalten geſchickt und dazu verpflichtet iſt/ keinesweges übergangen/ noch deſſen entrathen werden kan/ und aber die requiſition der Gerichte von der Teſtirerin Sara zwar gebührender maſſen geſchehen/ die Abordnung dennoch/ wie es ſeyn ſollen/ nicht erfolget/ bey welcher Bewandniß

die

die Teſtirerin hätte ſollen auf die Verbeſſerung oder Erſetzung dieſes Mangels dringen / oder ſich in andere weiſe rathen / zumahl ſie gleichwohl / unerachtet ſie da zur Zeit ihres Lebens keine Stunde länger verſichert geweſen / nichts deſtoweniger / ſo lange ſie gelebt / ( welches ſich noch auf vier gantze Wochen nachdem erſtrecket) deswegen lieber beſorgt ſeyn ſollen / als in ſolcher Gefahr der Nichtigkeit ihrer Diſpoſition verharren. Wodurch es dann geſchehen / daß wie ſie nicht alſofort geſtorben und daher in facto die Gefahr des Todes ſich durch die Verbeſſerung des Mangels nicht helffen zu können / ſich nicht ereignet / noch dermaſſen nah und groß geweſen / alſo auch die Exception der Churfürſtl. Deciſion wegen des periculi in mora nicht appliciret werden möge; So iſt derowegen das Teſtament dergeſtalt hinfällig zu halten.

§. XVI. Hæc ſunt verba citatæ Deciſionis ejusque ſtylus. Nobis interim, quod cum pace illuſtris Autoris dictum ſit, ſententia contraria verior videtur, ſcilicet, non opus fuiſſe, ut Actuarius ex poſtfacto adhiberetur, ſed teſtamentum abſente licet Actuario conditum nihilominus pro perfecto & valido haberi debuiſſe. Scilicet Deciſio Electoralis expreſſe de eo caſu loquitur, quando periculum mortis inſtat, es wäre dann des Teſtatoris Todes-Gefahr gegenwärtig / quod nempe eo caſu teſtamentum coram ſolo Judice, abſente autem Actuario conditum validum ſit. Idem vero caſus eſt, de quo adlata Deciſio illuſtris Autoris loquitur, prout oſtendunt verba: unerachtet ſie da zur Zeit ihres Lebens keine Stunde länger verſichert geweſen / ergo eadem quoque Deciſionis Electoralis adplicatio eſſe debet. Inſtas forſan: in caſu adlato periculum mortis quidem ſubfuiſſe, ipſam tamen mortem non eſſe mox ſubſecutam; verum reſpondeo, Deciſionem Electoralem etiam non expreſſe requi-

rere, ut mors præciſe & ſtatim ſubſequatur, ſed hoc unicum ſufficere, quod mortis periculum tempore conditi teſtamenti ſubfuerit. Futura contingentia non poſſunt illud mutare, vel evertere, quod ſemel rite conſtitit. *Non eſt novum, ut quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus extiterit, a quo initium capere non potuerunt*, ſunt verba Pauli in *l. 85. §. 1. ff. de R. J.* & hæc regula non ſolum in contractibus aliisque actibus, ſed quoque in teſtamentis locum habet, v. Matthæi & Bronchorſt *ad d. l. 85. §. 1. omnia enim, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatum eventus capiunt, ſi initium quoque ſine vitio ceperint*, prout loquitur Javolenus *in l. 201. ff. eod.*

§. XVII. Quod ſi vero extra caſum neceſſitatis teſtamentum coram judice & Actuario conditum, quæritur: *utrum Actuarius, vel Notarius judicii juratus eſſe debeat?* Non putat Dn. de Lyncker *Deciſ. 1218. in fin.* verb. und der Notarius zu ſolchen Gerichten beſtellt/ ob Er ſchon nicht dazu vereydet; So iſt die letzte Verordnung für beſtändig zu achten. Verum de hac adſertione iterum dubito. Actuarius enim, qui juramentum non præſtitit, non eſt Actuarius, ſed homo privatus, cui fides in judicialibus haberi non poteſt, prout pronunciarunt JCti Lipſienſes apud eundem Dn. Lynckerum *Deciſ. 163.* & hinc in ſupra *§. XI.* adducta *Deciſ. noviſſ. 45.* ſemper mentio fit des Richters und geſchwornen Actuarii, atque Dn. Wildvogel *in Diſp. de Offic. Actuar. th. 10.* juramenti præſtationem ad formam conſtitutionis Actuarii refert, conf. quoque *th. 5. cit. diſp.* verb. *in eo autem conſentiunt omnes, quod Actuarius debeat eſſe juratus*, add. Philippi *in obſerv. ad Deciſ. noviſſ. 45. obſ. 1. num. 48.* verb. *& inſuper Actuarius ad judicium juratus adſit.* Caſum ſpecialem adducit Dn. Beyer *in Volck-*

*mann.*

*mann. emend. part. 1. tit. 4. c. 47. num. 4.* ubi Dominus iurisdictionalis Præceptorem liberorum ſuorum eumque Studioſum Theologiæ una cum ſcabinis ad teſtatorem ægrotantem, non tamen in mortis periculo conſtitutum, ablegaverat. Quod teſtamentum a curia ſuprema Lipſienſi pro nullo declaratum fuit, non obſtante, quod Studioſus ille Protocollum a ſe conſcriptum mediante juramento confirmaverat. Neque enim ille erat Actuarius, neque ut Actuarius juramentum præſtiterat.

§. XIIX. Locuti hactenus ſemper ſumus de *judice*, *Scabinis* & *Actuario* atque eo ipſo ad illum caſum potisſimum reſpeximus, quando teſtamenta in *Præfecturis*, vel *judiciis Nobilium* conduntur. Sed quid, ſi quis coram *Senatu oppidano* jurisdictionem exercente teſtari velit? Sane ex principiis interpretandi iterum profluit, quod loco judicis, aut Præfecti, conſulem regentem, loco ſcabinorum Senatores, & loco Actuarii Secretarium præſentem fuiſſe ſufficiat, v. Carpzov. *P. 3. C. 3. D. 17.* ibi: *coram duobus Senatoribus, vel Scabinis.* Philippi *ad Deciſ. Elect. 45. Obſ. 1. num. 40.* Ergo teſtamentum rite conditur coram Conſule & Secretario, vel coram duobus Senatoribus & Secretario, imo in caſu mortis inſtantis coram ſolo Conſule, vel Senatoribus, abſente licet Secretario. Non obſtat, quod Carpzovius *loc. cit. Def. 17. n. 3.* exiſtimet, judicem ſolum non ſufficere cum Actuario, quando teſtamentum extra locum judicii conditur, ſed præterea adhuc unum ex ſcabinis, vel Senatoribus ad minimum præſentem eſſe debere; quemadmodum enim palmaria ejusdem ratio, *quod in teſtamento extra locum judicii condito major ſoleat*

 *ſub-*

*ſubeſſe ſuſpicio fraudis, cui removendæ vix una perſona publica ſufficere videtur*, non adeo firma eſt: ita quoque hodie poſt promulgatas Deciſiones Electorales non amplius eo reſpiciendum eſt, quid Carpzovius ſenſerit, ſed quid Elector Saxoniæ tanquam Legislator voluerit. Jam vero Elector *Deciſ. 45.* conſtituit, ſolum judicem cum Actuario ſufficere, quamvis nullus Scabinus adfuerit, & nos ſupra *§. XIII.* oſtendimus, Deciſionem illam ad eum quoque caſum pertinere, ſi teſtamentum non in loco judicii, ſed in ædibus privatis conditum fuit.

§. XIX. Hæc in *Electoratu Saxoniæ* ita regulariter obtinent. Recte interim obſervat Carpzovius *d. P. 3. C. 3. Def. 19.*, etiam in dicto Electoratu conſvetudine poſſe introduci, ut quoque valeat teſtamentum coram unico Scabino & Actuario judicii in domo teſtatoris conditum, quamvis inſtans mortis periculum non adfuerit. Ratio in eo conſiſtit, quoniam numerus Scabinorum in factione teſtamenti judicialis de ſolennibus juris poſitivi eſt, quibus conſuetudine omnino derogari poteſt, *l. 32. ff. de LL. l. 1. C. quæ ſit long. conſuet.*

§. XX. Videamus nunc de *Saxonia Ducali*. Equidem Schilterus *prax. jur. Rom. Exerc. 38. §. 37.* & Richterus *Deciſ. 30.* de illius praxi nihil in ſpecie tradunt, ſed ſolum verba Deciſionum Electoralium adferunt, quæ tamen in illa Ducali Saxonia vim legum non habent; interim Struvius *S. I. C. Ex. 32. th. 9.* ſolum judicem cum Actuario, vel etiam unum Scabinum & Actuarium ad fidem publicam teſtamento conciliandam ſufficere teſtatur. Imo refert, Scabinatum Jenenſem pronunciaſſe, quod validum ſit teſtamentum a nobili fœmina ægrotante conditum in præſen-

tia

tia des Gerichts-Schultzen/des Gerichts-Schreibers und Gerichts-Frohnen.

§. XXI. In *Principatu Anhaltino* jus Saxonicum quidem obſervatur, non vero Electorale, ſed commune, v. Anhalt. Landes Ordn. *tit.* 35. verb. und Wir Uns in andern Fällen deſſelbigen gemeinen Sächſiſchen Rechten auch gebrauchen. Ergo ſi in præſenti materia iudex cum Actuario, vel unus Scabinus cum Actuario præſens ſit, teſtamentum validum erit, ſive in judicio, ſive extra illud actus teſtandi expediatur. Quod enim eo caſu, quando quis extra locum judicii teſtatur, duo ſcabini præter Actuarium adeſſe debeant, hoc juris Saxonici Electoralis eſt, in jure communi vero fundamentum non habet, ſed judex & Actuarius, item unus Scabinus & Actuarius plenam fidem merentur, ſive in loco judicii, ſive extra eum deprehendantur, præcipue in actibus voluntariæ jurisdictionis, qui præcedentem cauſæ cognitionem non deſiderant, v. Struv. *d. Exerc.* 32. *th.* 9.

§. XXII. Jure *Lubecenſi part.* 2. *tit.* 1. *art.* 2. ita cautum reperitur: Wann jemand ein mündlich Teſtament/ nuncupativum genannt/ machen will/ der ſoll es thun in Gegenwärtigkeit zweyer Rathmannen/ und wann Er ſolches vor ihnen macht von ſeinem wohlgewonnenen Guthe/ ſo iſt es beſtändig/ als wann Er ein Teſtament in ſcriptis gemacht hätte. Entſtehet nun Irrung über dieſem Teſtament/ was alsdann gemeldte Rathmanne/ oder einer nach des andern Tode von dem Teſtatore eingenommen und gehöret hätten/ bey ihrem Eyde auſſagen würden/ das alles ſoll kräfftig und bey macht bleiben: Könte man aber ſo eilends die Raths-Perſonen nicht haben/ ſo können zweene beſeſſene Bürger ein ſolch Teſtament bezeugen/doch allein von zehn Marck Silbers/darunter/und nicht darüber. Textus de teſtamento extra locum judicii ſive nuncupativo, ſive in ſcriptis con-

dito loquitur: in judicio ſolius judicis præſentia ſufficit, nec ſenatoribus duobus opus eſt. Secretarii, vel Actuarii præſentia non requiritur, ſi teſtamentum coram duobus ſenatoribus conditum, bene tamen ſi coram ſolo judice, ut putat Mev. *in Comm. ad d. art. 2. num. 81. 99. 134. 135. 146.* ut vero ſenatores teſtamentum ſubſcribant, neceſſe non eſt, Id. *d. l. num. 152.*

§. XXIII. Statuta *Hamburgenſia part. 3. tit. 1. art. 1. & 2.* cum jure Lubecenſi fere coincidunt, niſi quod præter duo membra ſenatus etiam ſecretarii præſentia requiratur. Verba hæc ſunt *art. 1.* So ordnen und wollen wir / daß es bey ſolcher uhralten üblichen Form und heilſamer Verordnung hinführo gelaſſen werde / alſo und dergeſtalt / daß wenn jemand in dieſer Stadt ſein Teſtament / oder letzten Willen auffzurichten und zu verordnen begehret / derſelbe für zwo Raths-Perſonen / welche neben einem des Raths Secretarien auff ſein Erſuchen und Begehren der worthaltender Burgermeiſter zu ihm ſchicken wird / denſelben ſeinen letzten Willen entweder in Schrifften verfaſſet / oder aber mündlich bey geſunden Verſtande anzeigen und vermelden möge / welches dann / da es mündlich beſchicht / von dem beywesenden Secretario fleißig auffgezeichnet / oder / da es in Schrifften verfaſſet / für dem Paſtore und beyden Raths-Perſonen alsbald öffentlich verleſen / und darauff er / der Teſtator, befragt werden ſoll / ob ſolches / wie verleſen / ſein eigentlicher Will und Meynung ſey / ſagt Er dann darauff bey guter Vernunfft (deſſen dann die Raths-Perſonen inſonderheit fleißig acht haben ſollen) verſtändlich Ja / ſo ſoll ſein Teſtament füderlichſt vor Rath gebracht / und wañ es daſelbſt durch die dabey geweſene beyde Raths-Perſonen bezeuget / alsdann / vorbehaltlich der Erben Intereſſe, confirmiret und beſtätiget werden. Sturbe auch immittelſt / ehe daſſelbe Teſtament zu Rath confirmiret / einer aus den beyden Raths-Perſonen / ſo bey Aufrichtung ſolches Teſtaments gewe-

weſen / ſo ſoll der überlebende Rathmann bey ſeinem geleiſteten Raths-Eyde ſchweren / daß er mit demſelben an und über ſolchem Teſtament geweſen. Porro de caſu neceſſitatis & inſtantis periculi ita diſponitur in *art.* 2. Wofern aber man der Raths-Herren zu Aufrichtung eines Teſtaments nicht mächtig werden könte / als nemlichen in gefährlichen Sterbens Läufften / oder anderer Urſach und Verhinderrng wegen / ſo mag daſſelbig in Gegenwärtigkeit zweyer Erb-geſeſſener Bürger und des Secretarii, oder an ſtatt deſſelben / wo man den auch nicht haben möchte / eines beglaubten offenbahren Notarii an Erlaubniß des worthaltenden Bürgermeiſters beſchehen / auf Maß und Form / wie nächſt zuvor von Raths Perſonen geordnet.

§. XXIV. Juxta Reformationem *Noricam part. 3. tit. 29. leg. 1.* itidem coram duobus Senatoribus teſtamentum ritè conditur, de Secretario autem, vel Actuario, quod ſimul præſens eſſe debeat, nihil ibi diſponitur. Derhalben und wann ein Bürger / Bürgerin / oder Inwohner dieſer Stadt ſein Teſtament / oder letzten Willen / nicht nach Zierlichkeit gemeiner beſchriebener Rechte ordnen und aufrichten will / ſo mag er nach altem Herkommen und vermög Käyſerlicher und Königlicher Freyheiten / ſeinen letzten Willen in Schrifften durch ſich ſelbſt / oder einen andern verfaſſen / und vor zweyen / oder mehr / des kleinern oder gröſſern Raths Perſonen erzeugen / welche alſo denſelben in Schrifften verfaßten Begriff in Gegenwart des Teſtirers verleſen / verſchließen und ſiegeln / und einer aus ihnen zu ſeinen Handen in Verwahrung nehmen ſoll. Und nach des Teſtirers Abſterben / alſobald ſie deſſen in Erfahrung kommen / unverzogenlich der Oberkeit / oder in die Cantzley überantworten / und ſich hierinn der Ordnung und dem genannten Eyd / ſo jährlich in verſammletem Rath verleſen würdet / gemäß halten / nnd ſoll alſo daſſelbige Geſchäfft / der Erzeugung halb / für kräfftig gehalten werden. Aber in Zeit der beſorglichen Sterbens-

Läufften / da die des kleinern / oder gröſſern Raths füglich nicht zu bekommen / ſoll den Teſtirenden zugelaſſen ſeyn / vor andern zweyen glaubwürdigen Zeugen Manns-Perſonen ihre Teſtament und letzte Willen aufzurichten.

§. XXV. In Statutis Civitatis Imperialis *Mühlhuſæ in Thuringia lib. 4. art. 1.* duo Senatores cum Actuario requiruntur, ſi teſtamentum extra locum judicii conditur §. 1. Ein ieder Bürger oder Bürgerin / ſo allhier ein Teſtament machen will / ſoll vor uns / dem Rath / in Perſon erſcheinen / und daſelbſt mündlich / oder in einer Schrifft verſchloſſen / oder unverſchloſſen anzeigen / was ſein letzter Wille ſeyn ſolle. Hoc caſu de præſentia Secretarii, vel Actuarii nihil diſponitur, quod ea ad eſſentiam teſtamenti requiratur. §. 3. Könte er aber / Kranckheit oder anderer Urſachen halber / in Perſon nicht erſcheinen / ſo mag er bitten / daß zweene Raths-Freunde ſamt einem Actuario zu ihm geſchicket / und ihm vor denenſelben ſeinen letzten Willen entweder mündlich / oder ſchriffrlich zu errichten und zu verfaſſen geſtattet werden möge. De ſubditis ruri degentibus ita diſponitur §. 5. Die Unterthanen auf dem Lande ſollen bey Errichtunge ihres letzten Willens vor uns / dem Rathe / gleichfalls erſcheinen . . es wäre dann / daß ſie Kranckheit halber nicht erſcheinen könten / auf welchen Fall wir ihnen vergönnen / vor dem Pfarrer oder Schultheiſen und vier beglaubten Männern ihren letzten Willen münd- oder ſchrifftlich zu entrichten / ꝛc.

§. XXVI. In Ducatu hocce *Magdeburgico* ſæpe etiam quæſtio hactenus incidit: utrum Actuarii præſentia ex neceſſitate requiratur, quando teſtamentum iudici offertur? dubium provenit ex verbis *Ordin. Polit. Magdeburg. c.* 44 §. 2. Wann ein Teſtament vom Teſtatore unterſchrieben / in die Gerichte niedergelegt wird / ſoll daſſelbe vor beſtändig geachtet werden / ob es auch gleich in denen Gerichten nicht

ver-

verleſen / ſondern dem Richter und Actuario allein / ohne Beyſeyn anderer Gerichts-Perſonen vom Teſtatore ſelbſt überreichet worden wäre / alii enim exiſtimârunt, verba illa: ſondern dem Richter und Actuario allein ꝛc. enunciativa ſaltem eſſe: alii contra vim diſpoſitivam iisdem attribuerunt.

§. XXVII. Si de interpretatione doctrinali adlatorum verborum ageretur: in eam ſententiam inclinarem, quod pro diſpoſitivis haberi debeant. Verum enim vero cum uſualis interpretatio adſit, illa quidem doctrinali in præſenti opus non eſt, ſi enim de interpretatione legis quæratur, in primis inſpiciendum eſt, quo jure civitas retro in ejusmodi caſibus uſa fuiſſet: optima enim eſt legum interpres conſuetudo, ut ait Calliſtratus in *l. 38. ff. de LL.* Teſtatur vero de conſuetudine in hocce Ducatu primo illuſtre Regimen illius ſequentem in modum: Nachdem bey der Königl. Preuß. Regierung des Hertzogthums Magdeburg / Frau Ehrengard Maria / verwittibte Frey-Frau von Canſtein fürgeſtellet / was maſſen ſie eines Atteſtati benöthiget / daß wann ein Teſtator in Perſon bey den Unter-Gerichten des Hertzogthums Magdeburg erſcheinet / und dem Richter ſein Teſtament in loco Judicii übergiebt / und es ad acta zu reponiren bittet / nicht nach Maßgebung der Sächſiſchen Rechte erfordert werde / daß der Actuarius und Aſſeſſores dabey gegenwärtig ſeyn müſſen / ſondern daß es nach der Magdeburgiſchen Policey-Ordnung und denen gemeinen beſchriebenen Rechten / wo nicht in ſpecie bey einem oder andern Orte durch eine beſtändige obſervanz ein anders hergebracht / gnug ſey / wenn der Judex allein das Teſtament angenommen / die Regiſtratur darauf gemachet / es ad acta hinterleget / und die gewöhnliche Recognition ertheilet / auch daß bey der hieſigen Cantzley nicht bekannt / daß ein gerichtlich Teſtament / wenn es von dem Richter allein aufgenommen / und ſonſten in allen ſeine Richtigkeit hat / deshalb in Zweifel

fel

